LACRYMAE
PRISCO RITV FVSÆ
IN EXSEQVIIS
SERENISS. ARCHIDVCIS
ALBERTI PII,
BELGICÆ SEQVANICIQ.
PRINCIPIS

Per Io. IAC. CHIFFLETIVM, Patricium,
Gubernatorem & Archiatrum Ve-
ſontinum, Ciuem Romanum.

NATVRÆ

IMPERIO GEMIMVS.

Iuuen. Sat. vi.

LACRYMÆ
AD
EXCELLENTISS. VIRVM D. ANDREAM TREVISIVM, ALBERTI P. M. AVSTRIÆ ARCHIDVCIS ET SERENISS. ISABELLAE HISPANIAR. INFANTIS MOESTISS. CONIVGIS CELEREM, PERITVM, ET FIDELEM ARCHIATRVM.

CVM nos diebus proximè elapſis Sereniſſimo Archiduci ALBERTO, Protectori noſtro clementiſſimo, publico luctu atque munere, in hac Sequanorum Metropoli Iuſta perſolueremus (Vir Excellentiſſime) ego iuxta tumulum honorarium & pyram atris

ignibus collucentem, ſedens in ordine Senatorio, attentè circumſpiciebam piam ſelectorum ciuium turbam, qui Principem Protectorem, non ſecùs ac veteri Iure parentem filij, elugebant. Venêre tunc in mentem priſci lacrymationum in funeribus ritus: quos quia nemo Necrologorum accuratè ſatis meo iudicio eſt proſecutus; volui lugens ego quoque, ac de obitu Sereniſſimi Archiducis maximè triſtis, quædam de lacrymis funerum non vulgaria triduo colligere, quæ tibi mœſto pariter, ac de iacturâ Domini tui lacrymabundo offerrem: eâ tamen lege, vt ſi non placerent, lacrymarum modo repentè exorta, repentinò perirent, vel tamquam mulierum voces Præficarum; ſin minùs, ceu *lacrymoſa Poëmata Puppi,* meum erga Sacros Herois Beatiſſimi Manes affectum publicè teſtarentur:

Hom. Od. δ. Τοῦτό νυ καὶ γέρας οἶον ὀϊζυροῖσι βροτοῖσι,
Κείρασθαί τε κόμην, βαλέειν τ' ἀπὸ δάκρυ παρειῶν.

Hoc nimirum munus ſolum ſupereſt miſeris mortalibus,
Et comam tondere, & lacrymas è genis profundere.

Cere-

Cerebrum, arcem omnium ſenſuum, ampliſſimum homini natura conceſſit, ob functionum animalium multitudinem, ad quas ritè obeundas maxima ſpirituum requiritur copia. Hippocrates glandoſæ materiæ facit, Galenus medulloſæ: & ſanè humidiſſimum eſt, non tantùm ex naturâ ſuâ, ſed etiam ob perpetuas totius corporis expirationes, quas vt magna cucurbitula recipit, ijſq́ue in aqueas humiditates reſolutis inebriatur: quarum pars tenuior perſæpè impellitur ad oculos, in quibus animi reſidere ſolent indicia maxima; amoris, odij; lætitiæ, triſtitiæ; moderationis, iræ. Hinc lacrymas ad varios animi affectus cieri Tragicus indicauit: In Thyeſte.

—— ſubitos fundunt
Oculi fletus, nec cauſa ſubeſt;
Dolor, an metus eſt? an habet lacrymas
Magna voluptas?

Quintilianus ad duos tantùm refert: *In ipſo vultu plurimùm valent oculi, per quos animus emanat, vt citra motum quoque, & hilaritate eniteſcant, & triſtitiâ quoddam nubilum ducant. Quin etiam lacrymas his natura mentis indices* Inſt. lib. 11. c. 3.

 dedit,

dedit, quæ aut erumpunt dolore, aut lætitiâ manant. Iſtâ quidem perrarò, illo frequentiſſimè.

—— ἡ λύπη δ' ἔχει,

Ὥσπερ τὸ δένδρον τοῦτο καρπὸν, τὸ δάκρυον.

—— *dolor enim habet*

Vt arbor fructum lacrymas:

inquit Philemon Comicus. Et Meletius de Naturâ hominis: *Riſus defluens à gaudio naſcitur; à triſtitiâ verò gemitus & lacrymæ progenerantur: ſiquidem affectus animæ, qui voluptate caret, triſtitia eſt; quæ cùm Græcè* λύπη *dicatur,* παρὰ τὸ λύειν, *quod ſoluere diceres, ex eo dicta, quia oculos in lacrymas ſoluat.* Quæ autem triſtitia maior, quàm

Seneca. *cùm primùm nuntius acerbi funeris nos perculit, cùm tenemus corpus è conſpectu noſtro in ignem tranſiturum? lacrymas naturalis neceſſitas exprimit, & ſpiritus ictu doloris impulſus quemadmodum totum corpus quatit, ita oculos, quibus adiacentem humorem perpremit & expellit: hæ lacrymæ per eliſionem cadunt nolentibus nobis. Aliæ ſunt quibus exitum damus, cùm memoria eorum quos amiſimus retractatur, & ineſt quiddam dulce triſtitiæ, cùm occurrunt ſermones eorum iucundi, conuerſatio hilaris, officioſa pietas; tunc oculi*

li velut in gaudio relaxantur. His indulgemus, illis vincimur. Ita Romanæ ſapientiæ Antiſtes, Lib. de Tranq. animi. innuens æui ſui morem, quo defunctos in ipſo ſtatim obitu lugebant; deinde in Inferijs ac Parẽtalibus, aut quoties eorum recolebatur memoria. Sed longè magis ſolemnes erant eæ lacrymæ, quæ in ipſo funere fundebantur; tunc

—— imbre madebant
Cunctorum veſtes, proprioq́ue in fonte natabant
Stillantes oculi, vultuſq́ue ſinuſq́ue rigabant.

tunc, etiam retinentibus excidebant lacrymæ, & animum profuſæ leuabant: nam cùm eæ nihil ſint aliud, quàm profluuium quoddam mœſtæ nubis cerebrum obſidentis; imbris tepidi ſolutionem ſequi ſolet ſerenitas mentis, & omnis plerumque mœror per lacrymas effluere.

Verùm duplicem reperio apud Antiquos tam ex more quàm ex munere iuſtam atque debitam defunctis lacrymationem, priuatam vnam, publicam alteram. Prima illa domi fiebat ſtatim à lotione cadaueris & vnctione, priuſquam reponeretur in toro ſeu pheretro ad pyram efferendum: tunc enim ſuper illud

ſepul-

ſepulturæ condimentis medicatum fiebat gemitus, indicatus à Vate magno in funere Miſeni:

6.Æneid. *Pars calidos latices,& ahena vndãtia flammis*
Expediunt, corpuſq; lauant frigentis & vngunt:
Fit gemitus; tum membra toro defleta reponunt.

Altera publica fiebat tempore cremationis, quam Lucretius ita videtur attigiſſe:

Lib.3. *At nos horrifico cinefactum te propè buſto*
Inſatiabiliter deflebimus. ——

Et Terentius in Andriâ: *In ignem poſita eſt, fletur.* Tibullus hanc poſtremam lacrymarum profuſionem, & oſſium per eas irrigationem, hiſce dignis cedro carminibus bellè deſcribit:

Lib.3. El.2. *Ergo ego cùm tenuem fuero mutatus in vmbram,*
Candidaq; oßa ſuper nigra fauilla teget:
Ante meum veniat longos incompta capillos,
Et fleat ante meum mœſta Neæra rogum.
Sed veniat caræ matris comitata dolore,
Mœreat hæc genero, mœreat illa viro.
Præfatæ antè meos Manes, animamq; rigatæ
Perfuſaq; pias antè liquore manus.
Pars quæ ſola mei ſuperabit corporis, oſſa
Incinctæ nigrâ candida veſte legant:

Et

Et primùm annoſo ſpargant collecta Lyæo,
Mox etiam niueo fundere lacte parent:
Poſt hæc carbaſeis humorem tollere velis,
Atque in marmoreâ ponere ſicca domo.
Illic, quas mittit diues Panchaïa merces,
Eoiq́; Arabes, diues & Aſſyria:
Et noſtri memores lacrymæ fundantur eodem,
Sic ego componi carmen in oſſa velim, &c.

Hæc Tibullus; cuius ſi ea tantùm quæ faciunt ad lacrymas expendamus, aduertemus primùm mulieres funeras, matrem Neæræ & ipſam Neæram, mœſtas ac flentes ante rogum; dein ambas, poſt ὀϛολογίαν, cum aromatis lacrymas oſſibus ſuperfundentes, quæ ſic fuſæ *poni* antiquitus dicebantur, vt ex hoc veteri lapide obſeruauit Gutherius: De iure man. 1. c. 28. 517.5.

VLPIAI. SCITAI. PILVMENAI
CONIVGI. B. M. P.
ÆLIVS. MACER. ANTESIG
NANOR. TRIB
LACRYMAS. POSVIT

Ponebantur autem, quia inter iuſtos ac debitos honores funeris cenſebantur: vnde Horatius *debitas* vocauit:

Od.6. Lib.2. *Ille te mecum locus, & beata*
Poſtulant arces; ibi tu calentem
Debitâ ſparges lacrymâ fauillam
Vatis amici:

Eamdem ob cauſam Ouidius *iuſtas* dixit:

In Ep. Can. *Non mihi te licuit lacrymis perfundere iuſtis,*
In tua nec tonſas ferre ſepulcra comas.


Adiecit aptè Naſo *perfundere* verbum, vt *fundere* Tibullus; nam phialis ſeu vaſculis colligebantur cadentes lacrymæ tempore cremationis; tum ijs bibula fauilla ſpargebatur, & oſſa ſemiuſta perfundebantur. Ouidius iterùm:

In Ep. Sap. *Sex mihi natales ierant, cùm lecta parentis*
Ante diem lacrymas oſſa bibêre meas.


quod erat (opinor) *cinerem donare ſupremi muneris officio*, apud Silium; *decorare ſupremis muneribus*, apud Virgilium. Funebrium vaſculorum ſeu phialarum ad lacrymas colligendas hanc varietatem in Antiquariorum abacis obſeruauimus, tam in materiâ, quàm in figurâ:

15.Pun. 11.Æn.


Quam-




Ex Achate.



Ex Alabaſtrite




E vitro.



E vitro.



E vitro.




E vitro.



E vitro.




E vitro.




E vitro.



Ex argilla



Ex argilla.



Ex argilla

Quamquam & Romæ viderimus duplicia è vitro, itemq́ue alia ex auro, carchedonio, cryſtallo. Onychini meminit Propertius:

Lib. 2. Eleg. 13. *Cùm dabitur Syrio munere plenus onyx.*

In Iul. Talia quoque fuiſſe puto illa *operis antiqui vaſcula, quæ deducti lege Iuliâ coloni* (apud Suetonium) *ad extruendas villas in Coloniâ Capuâ reperiebant, cùm vetuſtiſsima ſepulcra idcircò ſtudioſiùs diſijcerent.* relinquebantur enim vaſa illa poſt perfuſionem in loculis, & fictilibus aut marmoreis vrnis, vbi quàm ſæpiſſimè reperta ſunt cum ſuccis odoratis ſpiſſis & coagulatis in eorum fundo: quod facit vt exiſtimem, ea non ſolùm lacrymis colligendis fuiſſe deſtinata, ſed ſimul Aſſyrijs vnguinibus ad locum funeris deferendis, quibus profluuio lacrymarum dilutis, magis ſumptuoſa fieret perfuſio. & ſanè ambo miſta fuiſſe reperies apud Poëtas; Ouidium inprimis:

5. Faſt. *Miſta bibunt molles lacrymis vnguenta fauillæ.*

& Statium in lacrymis Etruſci:

Lib. 3. *Semper & Aſſyrios felix bibat vrna liquores,*
Et lacrymas.

Felicem vrnam vocat Papinius, quam Martia-

lis

lis *ſanctam*, in quâ hoc pietatis officio culta Lib.9. Ep.31.
oſſa depoſita erant, quæ *defleta* dicebantur:
Cornelia apud Propertium:

Defleta & gemitu Cæſaris oſſa mea. Lib.4. El. vlt.

Fabius dixit, *cineres & oſſa religioſè quieſcentia:* Decl.10.
vt Romanus lapis *oſſa pia*, & *ſacros cineres.*

DIS. MANIBVS 915.5.
IVLIÆ. HELPIDIS
OSSA. PIA. CINERESQVE
SACRI. HIC. ECCE. QVIESCVNT

E contrario infleti & inſepulti habiti ſunt infelices: Virgilio dicuntur,

—— *animæ viles, inhumata infletaq; turba.* 6. Æn.

Auſonio,

—— *infletæ atque inopes ſuper arua cateruæ.*

quippe quæ carebant vltimo Arabicarum mercium honore, & ſupremo lacrymarum munere. De hoc conqueritur Auriga quidam Tarracone per hæc marmori publico inciſa:

NEC. MIHI. CONCESSA. EST. MORITVRO. GLORIA. CIRCI. 540.4.
DONARET. LACRYMAS. NE. PIA. TVRBA. MIHI.

de illo, minæ ſunt irati heredis apud Perſium:

Sat. 6. —— *cœnam funeris heres*
Negliget iratus, quòd rem curtaueris, & vrnæ
Oſſa inodora dabit.

Et quidem hæc lacrymarum collectio in vaſculis odorato ſucco turgentibus, vulgaris fuit. Alius occurrit longè pulcherrimus modus lacrymas congregatas in ſepulcris aſſeruandi ne perirent: quod etſi apud Veterum neminem legi, habeo tamen ad manum effoſſum in Galliâ monumentum, vnde id certò aſſeuerem.

Septembri menſe anni præteriti 1620. cùm in Collegio Patrum Societatis IESV ciuitatis antiquiſſimæ Viennæ Allobrogum, ad fundamenta quædam iacienda ſolum euerteretur, incidêre foſſores in vrnarum fictilium fragmenta quædam, in quibus (præter cineres & oſſa) latitabant phialę duæ vitreæ, tibiarum vel oſſiculorum inſtar. Ibi tum fortè aderat frater meus Petr. Franciſcus Chiffletius ex eadem Societate Sacerdos, & tunc temporis Profeſſor Eloquentiæ, qui (habitâ priùs à Rectore Domus licentiâ) mihi talium rerum diligentiſſimo phialam integram pyxide molli goſſipio farctâ

farctâ incluſam tranſmiſit: exoſculatus ſum illicò tantum munus;& examen eius amplius, negotijs præpeditus, in aliud tempus diſtuli. Quodnam verò eligi poſſet aptius hocce triſti & luctuoſo, quo nemo dolorem fingit; quo ciuibus noſtris (in funere Principis Optimi, libertatis noſtræ conſeruatoris, quietis noſtræ & ſecuritatis auctoris) profuſiſſimè fluunt rigantes ora riui? Me igitur accingo confeſtim exámini, & inuenio phialam meam digiti minimi longitudine, è vitro viridi præ vetuſtate corroſo, vt hîc expreſſam habes.



In hac phialâ continetur duplex liquor;aqueus vnus B; pinguis alter & oleoſus C; limpidiſſimus vterque: quod aduertere eſt, cùm ea ſuſque deque conuertitur; tunc enim oleum aëreum ſubitò ſumma repetit, aqua grauior ſubſidit: admirando Priſcorum ingenio, vt lacrymas diutiſſimè ſeruarent, ac propè facerent æternas in monumento, ſeu *æternali*

nali (vt loquebantur) *domo*; ab aëris quippe contactu prohibitas ſupernatante oleo: quod, ob clauſuram pluſquam hermeticam, expirare quoque & euaneſcere nullo modo poteſt. quid pulchrius? quid rarius? veriſſimum eſt

1.de Inuen. dictum Apollonij, apud Tullium; *in naturâ rerum* οὐδὲν θᾶσσον ξηραίνεσθαι δακρύου: *nihil citiùs areſcere lacrymâ.* hîc tamen miro artificio perennant, & æterna manent indicia dolorum, qui per oculos (in quibus *animum inhabitare*

Lib.11. cap.37. Plinius dixit) aliquando prodiêre. Illic haud dubiè (vbi reperta Viennæ hæcce phiala) pater aliquis pientiſſimus, vel

Ouid. de morte Tib. — *quadam manibus fugientes preſſit ocellos*
Mater, & in cineres vltima dona tulit.

vel vterque ſimul, vt in marmore Reatino,

ʒ126.8. NVNC. PATER. ET. MATER. NATO.
FECERE. SEPVLCRVM
OSSAQVE. FVNESTIS. FLVCTIBVS. ADLVERVNT.

nato ſcilicet grandiuſculo, dentato, & flammis abſumpto, non infanti, qui terrâ integer conditus fuiſſet.

Ceterùm vltima illa dona, gemina tantùm ibi

ibi videas,oleum videlicet & lacrymas. oleum dico ex aliquo frutice aromatico, ne quis opobalſamum putet,quod legitimum non innataret, ſed aquâ dilueretur, nec vnctuoſi quidquam retineret aut oleoſi,vt Abdella Medicus Ægyptius apud Alpinum docet. Lacrymæ verò ſunt ijs planè ſimiles, quas *fideles* vocauit Ouidius:

De Balſ. c.5.

Et ſepeli lacrymis perfuſa fidelibus oßa.

Ep.Hyp. ad Lyncum.

Meritò, *fidelibus*, quæ *vacuis exhauſta medullis* oſſa comitantur, vitreis contentæ vaſculis, tibias vel oſſicula referentibus. Sed quare tali formâ? Tibiæ nomen ὁμώνυμον eſt; ſumitur enim & pro illo pedis oſſe, quod *focile maius* Arabes vocant; & pro inſtrumento muſico non abſimili, quod olim ſacris omnibus adhibebatur:

Cantabat fanis, cantabat tibia ludis,
Cantabat mœſtis tibia funeribus;

Ouid.6. Faſt.

promiſcuè in omnium exſequijs, virorum quidem multiplex, puerorum ferè ſingularis, vbi dabat ſignum luctus, triplici (vt cenſemus) nomine. Primò, propter lugubrem triſtemque ſonum, quem edebat in funere. Se-

cundò, ob oſſis tibiæ figuram *νεκρώδη*, quam referebat; vt probant gemmæ veteres multæ,
1007.1. & antiquus lapis Angleriæ in delubro Tutelæ cum Tibicine, cui ferè ſimilem è columnâ Traiani exhibuit Caulæus in libro ſuo Gallico de veterum Romanorum relligione. Tertiò, quia plerumque (Iſidoro teſte) fiebant & tuba & tibia ex animalium oſſibus: quæ ſi ægris de tubâ ſomniantibus mortem ideò præſignificabant, vt vult Artemidorus; hîc multò magis, cùm Propertio dicatur,

1. Inſ. c.58.

Tibia funeſtâ triſtior eſſe tubâ.

Libr. 2. El. 7.

Quídni ergo ad funebris fiſtulæ, fletus indicis, & ſigni triſtitiæ normam flata fuerit lacrymoſa noſtra phiala? Quod certè ſi minimè placet, aliter diuinabimus:

Diuinare etenim nobis dat magnus Apollo.

Conijcimus itaque ſecundo loco, phialam noſtram oſſis tibiæ figuram aliquo modo referentem, fortè flatam ad ſimilitudinem talis *oſsis* è rogo per flammas *reiecti*; quod cùm primùm repererant antiqui, mortuum diuinam naturam conſecutum eſſe credebant, auctore Plutarcho. Vel, ſi placet, talis *oſsis*, *ex-*

Quæſt. Rom. 14.

cepti

cepti (ex Varrone) ad familiam expurgandam, 4.Ling. Lat.
quæ ſecundùm Ius Pontificale funeſta perpetuò manebat, quouſque iniectâ glebâ & humo Iuſta fuiſſent perſoluta; quod ferè fiebat in peregrè mortuis: & de oſſe ſimili intelligendus videtur Propertius:

Néue aliquid de te flendum referatur in vrnâ, Lib.3. El.11.
Sic redeunt illis qui cecidere locis.


quod quidem *os exceptum* cremato corpore accipiebatur, & aliud erat à *membro abſciſſo*, de quo Feſtus, quod ignem non fuerat expertum. Verbo Membrum. Oſſa illa, ſiue *reiectum*, ſiue *exceptum*, priuſquam tegerentur humo, munere perfuſionis poſtremo hauddubiè honorabantur: ad quem ritum quamuis facilè crediderim quæuis oſſa corporis aſſumi potuiſſe; exiſtimo tamen grandiora ſæpiuſculè vſurpata; quippe quæ non ita cederent flammis, & magis integra remanerent, vt artuum oſſa, brachia, cubitos, femora, tibias; prætereà ſpondylos ſpinæ, quæ priſcis Anatomicis ideò fortè dicta σύριγξ ἱερὰ, *ſacra fiſtula*; & maximè os eius infimum craſſius ſolidiuſq;, quod ijſdem dictum ἱερὸν ὀςοῦν, *os ſacrum*, non ob ſolam magnitudi-

nem, vel quòd in partu dehiſcat, vt vulgò ſentiunt, ſed quia frequentiſſimè ſacrâ & vltimâ lacrymarum perfuſione decoraretur.

Hîc porrò quæſtionem ab ipſamet vetuſtate eductam proponet aliquis non immeritò: ſcilicet, inſolens videri, lacrymatoriam hanc phialam oſſis humani figuram præferre, cùm in antiquis ſepulcris, nummis, gemmis, nihil vmquam tale viſum fuerit; in quibus potiùs Deorum & Dearum ſculpta ſimulacra, Genij, Satyri, arma, currus, aquilæ, coronæ, & ſimilia; nihil autem prorſus, quod mortem ſaperet, aut humani corporis diſſolutionem: rem exoſam olim & damnatam, aperire ſepulcra, ſecare corpora, & mortuorum viſcera rimari; vnde & veteres Medicos coactos brutorum cadauera ſpeculari, cùm humanis admouere ſcalpellum non liceret. Reſpondemus, rarò quidem, aut numquam veteres tumulos partium humani cadaueris imagines in externâ facie prætuliſſe; nihil tamen repugnare, quin in ſepulcrorum ſedibus, & loculis interioribus, ab oculis viuentium ſemotis, & in quibus defunctorum animæ credebantur immorari, ſimile quidpiam

piam oſſibus conſecratis fuerit additum, cui comites lacrymæ adiunctæ eſſent, in funerum doloribus fecundiſſimæ, & paratiſsimæ, dona vltima, fideique & amoris ſuperſtitum debita teſtimonia. Addimus deinde, non adeò exoſam Priſcis artem Anatomicam fuiſſe, quin eam excolendi ſecreta plerumque data fuerit occaſio, teſte Galeno, vel ſepulcris caſu diſſolutis, vel in ſententiam paſsis & inſepultis, quorum ſepulcra futura erant cruces, & inteſtina vulturum. Sed quia olim rara erat eiuſmodi exquiſita cadauerum inſpectio, rara etiam in Veterum marmoribus, nummis, gemmis, oſsium expreſſorum occurrit contemplatio: quam tamen aliàs in Achate veteri obſeruauimus, vbi cranium humanum cum bilance ſculptum erat; & recèns integrum hominis σκελετὸν feliciter nacti ſumus in annulari cyano vetuſtiſsimâ, vnguem minimum dumtaxat latâ, quam à Claudio Menetrio Sequano perito Antiquario Româ relatam, & nobis vltrò conceſſam, ſculptor hîc vtcumque expreſsit.

1. An. ad. c. 2.



Huius cimelij ſcalpturâ nihil elegantius, nihil ad natùram propiùs accedens conſpici poteſt; quod me cogit, vt eam vel ad Galeni tempora referam, quì Antonini Philoſophi Imperio vixit, quo peritiſſimi vigebant artifices; vel certè altiùs ad æuum Hippocratis, quem Pauſanias refert æreàm hominis effigiem, cui conſumptâ carne ſola oſſa reliqua eſſent, Apollini Delphico dedicaſſe.

In Phoc.

Hoc igitur pacto Veteres & priuatim & publicè luxerunt ſuos defunctos; ſic efferendum cadauer riuis lacrymarum proni adluerunt; ita ſiccis oſſibus, & fauillæ calenti lacrymas liquidis odoribus miſtas ſuperfuderunt, vaſculis vulgò exceptas, aliàs phialis tibias vel oſſicula referentibus concluſas. Nunc pari ratione, Sereniſſimo Archiduci ALBERTO PIO, Veterum Principum munificentiam, clementiam, fortitudinem ac Pietatem in primis ſupergreſſo, cuique futura ſæcula nullum inuenient parem, publica & ſuprema vbique lacrymarum munera ſunt ferenda; multis ille etenim

etenim flebilis occidit; at vix vlli flebilior quàm mihi, tibiq́ue, Excellentiſsime Treuiſi. Sanctæ ergo ipſius animæ diuinos honores vnà perſoluamus,

Aſſyrios caro capiti dedamus odores;

dein naturæ obſequamur grauitate ſeruatâ, & ſuper beata eius membra *lacrymas* fundamus *Iuſtas*, *Fideles*, *Debitas:* quas, auctoritate ſapientum ſaluâ, ſæpè fluxiſſe nos docet Philoſophus; quas Solonem Sapientem in morte ſuâ expetijſſe ſcimus. Lugeamus inquam cum temperamento, vt nobis nec humanitas deſit, neque dignitas; legeſq́ue Locrorum ſeueriores, quibus mortuos lugere vetitum erat, omnes vnius æſtimemus aſsis.

CENSVRA.

Pio Principi ab Helicone laticem hunc promit ſupremum doctus Chiffletius. Typis perennabit.

Vidi CORNELIVS DE WITTE
S.T.L. *Archidiaconus Antuerpienſis.*

32996